



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

Non valet inquam, hæc responsio: absurdum enim videtur dicere, illos sanctissimos viros, si mereri possunt secundum communes regulas aliorum viatorum, in tam longo tempore parum mereri, id est solum quia rebellionem carnis, operandique difficultatem non sentiant, quasi excellentia meriti, vel omnino, vel præcipue ex his circumstantiis oriretur. Sic enim colligere posset aliquis, meritum B. Virginis non fuisse excellentissimum, quia nec fomitum, nec difficultatem in opere virtutis ex parte corporis sentiebat, sed solum illam quæ in unoquoque opere virtutis ex objecto inerat.

Deinde ad excellentiam meriti sufficit excellentia amoris, & promptitudo voluntatis, quæ in illis sanctissimis viris maxima est: Ergo etiam maximum & excellentissimum debet esse illorum meritum, supposito quòd in illo statu merentur. Unde non video quâ probabilitate dici possit, illos mereri continuo augmentum charitatis, diligendo Deum, & nihilominus nunquam perventuros ad eam perfectionem charitatis, in qua possint tam intense ipsum diligere, quam D. Joannes Baptista & Apostoli in via poterunt: nam totum augmentum charitatis quod merentur, statim illis datur, & semper diligunt quantum per charitatem habituatam possunt, quia sine difficultate vel repugnantiâ amant: Ergo incredibile est, quòd semper habebunt sine actus charitatis ita remissos, ut nullorum actibus charitatis, à D. Joanne & Apostolis elicitis, æquivalere possint.

Quare unum ex his necessarii dicendum existimo, nempe vel illos sanctos viros, ab eo tempore quo in paradysum terrestrem translati sunt, non mereri; quia licet mortales sint, non sunt tamen conditionibus mortalitatis subiecti, sicut alii homines, qui lege & modo communi in corpore mortali vivunt, subindeque nec sunt propriè viatores, sed quasi medii inter viatores & comprehensiores, & veluti æternitatis candidati, ut ait Tertullianus lib. de resurrectione carnis. Vel si ab eo tempore merentur, eorumque meritum duret usque ad illorum mortem, quam pro Christo in fine mundi patientur, eos tunc in gratia & charitate æquatuos ipsos Apostolos, & Joannem Baptistam, subindeque in gloria & beatitudine pares illis futuros. Nec mirum, cum ipsi futuri sint secundi Christi adventus præcursores, Apostoli, nec non Martyres ejus gloriosi, qui (ut loquitur idem Tertullianus) Antichristum sanguine suo extinguunt. Quid horum probabilius & verisimilius sit, prudens Lector judicabit.

ARTICULUS III.

Quid meritum de condigno apud Deum requiratur ex parte ipsius Dei ordinatio operis ad premium, & an illa debeat esse extrinseca, vel sufficiat intrinseca, in voluntate conferendi gratiam ut principium meriti inclusa?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiae

Suppono primò: quòd licet apud homines requiratur promissio, pactum, ordinatio, vel ac-

ceptatio, ut meritum obliget de toto rigore justitiæ retribuentem, non tamen ut meritum dicatur condignum premio, aut de condigno mereri premium: nam apud homines, ut meritum dicatur condignum premio, solum requiritur quòd sit relatium ad alterum, & in bonum illius, ut constat ex D. Thoma supra quæst. 21. art. 3. ubi ad rationem meriti erga homines, nullum requirit pactum, promissionem, aut contractum. Ratio etiam suffragatur: nam ad meritum de condigno solum requiritur jus ad premium, juxta leges justitiæ distributiivæ, non tamen commutativæ. Sed ad jus ad premium, juxta leges justitiæ distributiivæ, non requiritur apud homines promissio, acceptatio, vel ordinatio; nam superior distributor ante omne pactum, promissionem, vel acceptationem, tenetur respicere, & cognoscere condignitatem omnium eorum, quibus præmia distribuenda sunt, & talia præmia juxta proportionem meritorum ipsis distribuere: Ergo ad meritum de condigno apud homines non requiritur promissio, pactum, ordinatio, vel acceptatio: unde solum hic loquimur de condignitate meriti apud Deum.

Suppono secundo, ordinationem sive acceptationem operis meriti ad premium, aliam esse intrinsecam, quæ includitur in voluntate conferendi gratiam tanquam principium merendi; aliam vero extrinsecam, quæ consistit in actu positivo Dei libero, quo promittit beatitudinem gloriæ æternæ pro operibus supernaturalibus, à gratia & charitate procedentibus.

Suppono tertio, dupliciter posse concipi, quòd requiratur promissio Dei, vel divina ordinatio ad meritum, nimirum vel tanquam ratio formalis illud constituens, vel solum ut conditio ad ejus complementum requisita. His præmissis.

Circa propositam difficultatem tres versantur Theologorum sententiæ. Prima tenet meritum hominis apud Deum esse posse aliquid ordinatio divina ad premium, tanquam intrinsecam, seu inclusa in voluntate dandi principium merendi, quam extrinsecam & isti superaddita, ac in promissione sive pacto consistente. Ita docere videntur Vazquez, Meratius, & alii ex Recentioribus.

Secunda affirmat ordinationem intrinsecam, & promissionem extrinsecam Dei, ad meritum de condigno hominis apud Deum requiri. Ita Scotus, Nominales, Suarez, Bellarminus, & alii plures, quos sequitur Aravius hic dubio 3. In hoc tamen isti differunt à Scoto & Nominalibus, quòd illi volunt meritum de condigno hominis ad Deum constitui formaliter in sua specie per promissionem, seu ordinationem extrinsecam Dei, tanquam per rationem formalem: Suarez verò, & alii, eam duntaxat tanquam conditionem, meritum de condigno complementum, requirunt.

Tertia sententia, quæ est communis in schola D. Thomæ, asserit ad meritum de condigno hominis apud Deum, requiri quidem divinam ordinationem operis ad premium; eam tamen quæ extrinseca dicitur, & quæ in pacto vel promissione consistit, necessariam non esse, nec ad rationem formalem meriti, nec ad ejus complementum, sed sufficere illam quæ includitur in voluntate dandi gratiam ut principium merendi. Ita Cajetanus, Conradus, Soto, Marcus à Serra, & alii.